



Universitätsbibliothek Paderborn

**Canonicorvm Regvlarivm Ordinis S. Avgvstini Origines ac
Progressus, Per Italiam, Hispaniam, Galliam, Germaniam,
Belgium, aliasque orbis Christiani prouincias**

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1614

Capvt V. Iacobi Vitriaci Cardinalis & Episcopi Aconensis testimonium de
Canonicis Regularibus sui temporis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11321

CAPVT V.

IACOBI VITRIACI CARDINALIS
& Episcopi Aconensis testimonium de
Canonicis Regularibus sui
temporis.

ILLI, qui Canonici Regulares dicuntur
B. Augustini regulam pro fundamento re-
ligionis habētes, media & regia via inceden-
tes, secundūm primas regularum institutio-
nem Obseruantias, camisijs & femoralibus,
superpellitijs & pellibus, culcitis & linteau-
minibus vtuntur. Camisias & femoralia de
nocte non deponunt. Post matutinas ad cu-
bicula reuertentes, causa recreationis, dor-
miunt. Nouem lectionum numerum in no-
cturno officio non excedunt; tribus diebus
in hebdomada carnes edunt; pisces, oua, &
caseum, in refectorio diebus alijs māducant.
Ipsis autem prandentibus, vnuis eorum di-
uinarum Scripturarum recitat lectiones. Sub
vnius Abbatis vel Prioris obedientia conti-
nenter viuunt, proprium autem eis habere
non licet: animarum curas licitum est eis
suſcipere, & Ecclesiās parochiales rege-
re. Alias præterea habent canonicas insti-
tutiones, & regularia decreta, quæ si diligen-
ter, & cum timore diuino obſeruare & ad-
implere studuerint; manna absconditum &

B 4 the-

thesauros indeficientes, & præmium sempiternum in splendoribus Sanctorum, gloria & honore coronati, possidebunt. Vx igitur il-
lis, qui murmurantes, queruli, loquaces & garruli, mendaces & detractores inter fratres discordiam seminantes, ignavi, otiosi, & desides secundum desideria sua ambulantes, inflati & inanes, inuidi, cōtentiosi & impatiētes, auari & ambitiosi, incompositi & imprudentes, gulæ & renibus frœna laxantes, maioribus suis inobedientes, & primum votum irritum faciētes, tam sanctum ordinem qua-
si contemptibilem reddiderunt, multos scandalizantes, & tantò laicis turpiores, quantò in operibus sanctitatis, prout altitudo gradus, & ordo professionis exigit, debuerunt esse priores. De quibus scriptum est: *Meretrices & publicani p̄cedent vos in regno cœlorum.* Ipsi enim tanquam sepulcra foris dealbata, intus autem pleni immūditijs & ossibus mortuorum, & putredine cadauerum, adeò fētentes in naribus bonorum virorum secum cohabitantium effecti sunt, quòd multi cùm iam sustinere non possent, ab eis discesserunt, ad aliam religionem, mutato habitu, fugientes. Quidam autem in eodem habitu, & sub eadem regula permanentes, prædictis velut folijs defluentibus, fortiter perstiterunt ad Observuantiam regulæ sancte, & reformatio-
nem Regularium institutionum, tam in se
quām

quam in alijs tota virtute laborantes, & totis
desiderijs anhelantes. Conuentus siquidem
Canonicorum regularium *S. Ioannis in Vineis*
Suessonensis, & *S. Auberti Cameracensis*, & San-
ctæ Mariæ Blesensis, & *S. Nicolai de Oegnies*, <sup>De his
monaste-
rijs, vide
infra cap.
37. et 40.</sup> con-
cùm quibusdam alijs quasi pauci racemi con-
sumpta vindemia, in virtute religionis &
feruore charitatis, & decore honestatis per-
manserunt. Ascendentes de virtute in virtu-
tem, & odore bonæ vitæ & sanctæ conuersa-
tionis multos allicientes de mundi naufragio
ad congregationem suam, tanquam ad secu-
rum tranquillitatis portum, traxerunt.

Ita Iacob. Vitriacus, qui in Belgio diu vixit, &
anno 1244. obiit.

CAPUT VI.

SENENTIA LATA A PIO V. PON-
tifice Maximo, in causa Præcedentia, ad relatio-
nem trium S. R. E. Cardinalium, in favorem Ca-
nonicorum Regularium, ordinis S. Augustini, Con-
gregationis Lateranensis, contra Monachos
ord. S. Benedicti, congregationis
Cassinensis.

CHRISTI nomine inuocato, pro tribu-
nali sedentes, & solum Deum præ
oculis habentes, per hanc nostram definitiu-
mam sententiam, quam ferimus in his scriptis,
in causa & causis, quam coram nobis, & quas

B 5 dile-